



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Fasti Mariani

Brunner, Andreas

Antverpiæ, M.D.C XXX III.

S. Marcellvs C. 29. Decemb.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70962](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70962)

lia, damnatur innocentia ad vincula, Sed libertas Christiana exilium elegit, in quod ipsum Rex omnes amicos THOMÆ egit, ut si non suæ, suorum certè miseriam succumberet. Sed his calamitatibus ille ad martyrium, velut tyro ad palum, se exercebat. Nec multò post ipse conspicuus Christus ad palmam invitavit. Ergo redux in Angliam in templo invaditur. Prodit THOMAS in amplexus hostium, vetat primò cuiquam alteri è suis manum injici, jugulum deinde præbet, cadit, & muneri sui neque post mortem oblitus, bene omnibus è feretro dicit. O nunc iterum aliquando, THOMA, bene Angliæ tuæ precare. *Ex Eduardo.*

S. MARCELLVS C. 29. Decemb.

A Pameæ natus MARCELLVS patrem morte puer amisit. In puero tamen hoc miseri patrem suum invenerunt, cum hereditatem omnem his cederet. Ephesi quoque quod scribendo lucellum sibi parabat, habebat cum egenis commune. Post verò Abbas certavit etiam cum Deo liberalitate. Sed cur hic ab homine vinceretur? Itaq; cum X. nummos, qui uni reliqui erant, omnes erogari in captivos nuper Episcopos iussisset, mox dono XC. talenta recepit. Succensuit nihilominus dispensatori, quòd uno retento nummo,

mo, fœnus x. talentis imminuisset. Taceo horreum vacuum mox frumento plenum, quod unis scilicet precibus suis MARCELLVS cōvexit, quas quidem quàm acceptas haberet Deus, ille vidit, qui supplicem humo ab Angelis vidit attolli, & solis instar nitere. Porro corpora agrorum ita curabat, ut simul medicinam animis faceret. Quare Iudas in morbum toties, quoties in perfidiam est relapsus, dum ludentem cum DEO & Divo mors castigavit. Iam cum Byzantium urbs tota flammis delenda esset, mediam servavit MARCELLVS, igne lacrimis extincto. Cœnobiū ipsius cum spoliare pararent milites, lux ingens hoc tegere visa, in luce crux, è cruce verò tot fulmina, quot tela, quę non jam manus in prædam, sed pedes in fugam docuit prædones conijcere. Ad id illud, cum Reipublicę causâ Leonē Imp. adiret, honoris causâ ab Angelis deductum esse, uti tam nobiles stipatores corporis monacho ipse puto Imp. invideret. *Ex Metaph.*

S. EBRVLPHVVS C. 29. Decemb.

EBRVLPHVVS è Regis Gallię ad Christi aulam transit, haud paulò honestiori loco futurus. Permoveere ad transitionem illa Christi verba, quibus non modò EBRVLPHVVM, sed te etiã, Lector, hodie invitat: *Si quis vult venire*

venire